

PROGRAMMA
DE
ΙΕΡΟΙΣ ΚΥΚΛΟΙΣ,
SIVE
DE SALTANDI RITV CIRCA
DEORVM ARAS.
ET DE
ΚΡΑΔΗΣ ΝΟΜΩ,
SIVE
DE TIBIARVM MODIS IN PA-
GANORVM SACRIS OLIM
VSITATIS.

COBURGI, Typis GEORGII OTTONIS.

VI.

Antiqu. Graec.

207,19.

PROGRAMMA

DE

PROGRAMMA

DE

PROGRAMMA

PROGRAMMA

DE

PROGRAMMA

DE

PROGRAMMA

PROGRAMMA

DE

PROGRAMMA

DE



J. J.

M. JOH. CHRISTOPHORVS SCHVBART

Eloquentiae et Graecae linguae Prof. P. O. et Alumnorum

Sub-Insp.

Civibus Casimirianis S. D.

Quod si prima statim huius uniuersi tempora ratione animoque
lustramus,prehendimus,maximam hominum partem, re-
lictō uero Deo, fictis uariisque idolis diuinum detulisse ho-
norem. Plures homines simulacra uix e fornacibus deprom-
ta et malleis fabricata Deorum instar ueneratos fuisse, antiquis etiam no-
uas successisse superstitiones, non sine stupore uidemus. Satanae frau-
dibus autem proh a uero Deo descuerunt isti miseri, et profano cultui
zotos se manciparunt. Sed τὸ γνωστὸν τῆ θεῆ φανερόν ἐστὶν ἐν αὐτοῖς, ὁ
θεὸς γὰρ αὐτοῖς ἐφανερώσῃ, uerba sunt Pauli in epistola ad romanos
scripta cap. I. commat. 19. Lactantius diuin. Instit. lib. I. cap. 3. prolixè
et praeclare ostendit, quo modo ex naturae lumine cognoscere potuerint
gentes, unum esse Deum, ipsi etiam pagani cordatiores facti sunt, Deum esse
unum, in quo uis et potestas consummata sit, quae nec minui possit, nec au-
geri. Praeclare Plato in Timaeo dixit, unius Dei prouidentia ac potestate
mundum gubernari, eiusque uim ac maiestatem tantam esse, ut eam ne-
que mente concipere, neque uerbis enarrare quisquam possit. Ma-
crobius in somn. Scip. lib. I. cap. 6. p. 18. dicit: Monas initium finis-
que omnium, neque ipsa principii aut finis sciens ad summum refertur

Deum.

X 2

Deum. Mirari autem satis non possumus, antiquissimis temporibus sanctos etiam homines falsos coluisse Deos, imo summum Pontificem Aaronem, qui tamen Israëliticum populum, etiam cum uitae periculo et sanguinis profusione a formando fingendoque isto idolo depellere debuisset, foedissimi cultus idololatrici fuisse autorem. Publicas istas ac religiosas ceremonias nobis describit Moses Exod. XXXII. comm. 5. seqq. Aaron aedificauit altare, et praeeonis uoce clamauit: Diem Iouae festum in diem posterum indico. Viderat Israëliticus populus Deum in monte Sinai legem promulgantem, ipsum in columna nubis et ignis conspexerat praesentem, detestanda tamen prohi idololatria se commaculauit, aureum uitulum adorans. Quo consilio autem motus Aaron sub uituli, et non sub alius cuiusdam animalis aut hominis forma idolum istud fecerit, uariae doctorum sunt sententiae, plures tamen, et quidem non sine ratione, in ea uersantur opinione, Aaronem in hoc Ægyptios fuisse imitatum, qui inter reliquos Deos in primis Apidem coluerunt, Israëlitasque diuturna Ægyptiorum consuetudine illorum quoque superstitiones uelut contagio contraxisse. Ut primum surrexerunt, sacrae scripturae sunt uerba, sacra fecerunt, et solida sacrificia etiam pro salute obtulerunt, cumque discumbentes cibum potumque sumissent largius, ad ludendum surrexerunt, gaudii signa edentes, ita, ut aër iubilantium strepitu personaret. Profusa hac hilaritate et comissione Israëlitas imitatos fuisse Ægyptios, haut obscure patet, si horum inspicimus mores, apud Ægyptios quippe solenne fuit, ut, transactis in sacris illorum libris statutis annis, in Nilum demergeretur ille Apis, et nouus quaereretur, qui a sacerdotibus maxima pompa, pueris in sacro illo comitatu carmen in honorem Numinis gregatim praecinentibus, Memphim Ægyptiorum regiam deducebatur, magnum et publicum ob repertum Deum erat gaudium, et πανδαισία siue lautissimum conuiuium instituebatur. Conf. Barthii animaduers. in Statium tom. I. p. 303. Alexandr. ab Alex. lib. VI. c. 7. p. 827.

Israëlitas hinc, qui idololatricum hunc cultum et solennia apud Ægyptios uiderant, illos hac quoque in parte imitatos, ob inuentum Deum laute uixisse, saltandoque petulanter uitulatos fuisse, patet. Alludit ad hoc Paulus, serio monens Corinthios in priori ad eos scripta epistola cap. X. comm. 7. μηδὲ εἰδωλόλατρα γίνεσθαι, καθὼς τινες αὐτῶν, ὡς γέγραπται, ἐκάθισεν ὁ λαὸς φαγεῖν καὶ πιεῖν, καὶ ἀνέσθησαν πάζειν, ubi uerbum πάζω, quod alias ad omne genus ludicrorum gestuum, sermonum et factorum translatum probatissimorum scriptorum graecorum auto-

auto-

autoritate h. l. recte per saltare uertitur. Quod in Gentium sacris circa aram Dei uel Deae, cuius erant solennia, choreae in orbem agi conueuerint, et apud omnes propemodum gentes iam inde ab antiquis temporibus haec consuetudo inualuerit, clarissima in eorum sacris inueniuntur uestigia. Dum Iphigenia a Patre Agamemnone sacra destinata uictima iuebatur prope lauacrum adstare, ignara adhuc fati subito quaerebat:

ἤσομεν ἀφ' ἀμφὶ βωμὸν, ὦ πάτερ, χῶρε,
 Faciemus circa aram choream, o Pater!

Theseus olim sinuosum labyrinthum egressus huius rei memoriam gratique simul animi significationem fixit, et e Creta in Delum appulsus saltationem sacram uariis gyris implexam instituit, quam γέρανον appellauit. Callimachus hymn. in Del. v. 310. seqq. sic de eo canit:

οἱ χαλεπὸν μύκημα καὶ ἄγριον ἦα Φυγόντες
 πασιφάης, καὶ γναμπτὸν ἔδος σκολιᾷ λαβυρίνθῳ,
 πότνια σὸν περὶ βωμὸν ἐγχειρομένῃ κιθαρῖσμά
 κύκλιον ὠρχήσαντο· χορῶ δ' ἠγήσατο Θησεύς.

h. e. Qui ubi horrendum mugitum et ferocem filium offugissent Pasiphae, et inflexam sedem tortuosi labyrinthi,
 Diua, tuam circa aram citharae ad cantum

In orbem tripudiarunt, chorumque duxit Theseus.

Plutarchus in Theseo p. 9. ita scribit: μύκημα τῶν ἐν τῷ λαβυρίνθῳ περιόδων καὶ διεξόδων, ἐν τινὶ ῥυθμῷ παραλλάξεις καὶ ἀνελίξεις ἔχοντι γιγνομένην. In Delo nulla olim sine saltatione peragebantur sacra, in iis adhibebatur musica, et optimi quique delecti ingressis choreas accinebant. Apud Graecos autem istae propter choros scriptae cantilenae, Luciano teste, uocabantur ὑπορχήματα, τὰ τοῖς χοροῖς γραφόμενα ἄσματα ὑπορχήματα ἐκαλεῖτο. Qua de causa autem illa ὑπορχήματα fuerint introducta, refert Athenaeus lib. XIV. p. 628. In Eleusiniis Cereris sacris eiusmodi saltandi ritum obtinuisse, testis est Aristophanes in ranis. Ad Apollinis aram ab adolescentibus saltationes olim fieri consueuisse, docet Callimachus hymn. in Apoll. v. 8. seq.

ὁ Θεὸς ἔκτετι μακρὰν,
 οἱ δὲ νέοι μολπήν τε καὶ ἐς χορὸν ἐντύνεθε.

Circa Dianae aut Apollinis aram ad citharae praecinens modos saltationes a uirginum aut puerorum choris peragi olim ut plurimum con-

fueuisse, nouimus. De saltatione eiusmodi ad Apollinis aram in Delo dicit Apollonius Rhod. lib. 1. v. 538. seq.

Φόρμιγγες ὑπὸ πρὸς βωμὸν ὀμαρτῆ
ἐμμελέως κραιπνοῖσι πέδον ῥήσσωσι πόδεσσιν.

ad citharam circa aram una

concinne citatis pedibus solum quatiunt.

Athenæus lib. X. p. 429. docet, Apollinis Delii apud Athenienses fuisse fanum, et ὄρχηστὰς apud eos dictos, qui in Θαργηλίοις sacro maxime Apollini festo a primoribus urbis pueris, solennibus praeterea Θεωρῶν, qui in Delum mittebantur, uestibus erant amicti, lustrata etiam tum urbe, choreas in Dei illius honorem agebant. Chori uirginum circulares passim in Dianae honorem ac solennibus quoque aliorum Numinum festis agitati leguntur apud ueteres, illaeque uirginum choreae ad tibi-
biarum sonum cum uaria capitis, manuum, pedum ac lumborum etiam motione in Dianae honorem fiebant. De Bachi sacris legimus apud Dionys. Alex. v. 841.

ὄρχεῦνται θηητὸν ἐλισσόμενοι περὶ κύκλον

saltabant mirificum se flectentes in orbem.

Difsectis autem, arae impositis atque accensis uictimae partibus, circulares eiusmodi chori potissimum agebantur, istique chori ἱεροὶ κύκλοι dicebantur, quod in honorem Numinis, cuius solennia celebrabantur, circa eius aram a uirginum aut mulierum choris ad id constitutis in orbe et solito quidem modo, nempe cum decenti, ad rythmum totius corporis, pedum non solum, sed et manuum, lumborum et capitis motione iidem chori fieri consueuerant.

Ut promissis stemus. addemus iam nonnulla de κράδης νόμῳ siue de tibi-
biarum modis in paganorum sacris olim usitatis. Inter musica instrumenta, quibus in mactandis sacrificiis olim usi sunt, tria fuere praecipua, cithara, fistula, tibia; in sacris tamen Deorum festis aut agonibus iisdem dicatis nullum instrumentum tibia magis fuisse frequen-
tatum, ueterum testantur monumenta. Varium olim tibi-
biarum fuisse usum, docet Ouidius lib. VI. Fast. v. 357. seqq.

Temporibus ueterum tibicinis usus auorum

Magnus, et in magno semper honore fuit;

Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,

Cantabat moestis tibia funeribus,

Quaeritur in scena caua tibia, quaeritur aris.

Ad tibiam urbes olim aedificari coeptas fuisse, Pausanias docet in Mes-
senicis

fenicis cap. XXVII. p. 345. nempe Epaminondam, cum condendae urbi locum delegisset idoneum, aruspices, num ea regio Diis cordi esset futura, consulisset, illique, sacris inspectis, secunda extra renunciassent, cum omnibus Thebanis rem diuinam Libero Patri et Apollini Ismenio fecisse, murorum ambitum excitasse, & in condenda urbe et erigendis templis, cantibus aliis repudiatis, Beoticae et Agiuae tibiae modos adhibuisse. Quemadmodum autem praecinentibus tibiis nouae urbis aedificatio, ita et murorum destructio ad eosdem tibiae modulos facta est: solennis hinc illa reuocatio Deorum, qui ante urbium expugnationem uel sua sponte, uel evocatione templis suis excesserant, nefas quippe erat, Deos una cum captae urbis incolis in captiuitatem redigi, urbibus etiam restauratis Deos ἀνακλήσει ad antiquas sedes inuitare consueuerant. In praeliorum porro conflictu tibiatarum cantus audiebatur. Plutarchus de musica p. 1140. ἡ μουσικὴ ὑπάρχει χρησίμη πρὸς πάντα καὶ πᾶσαν ἐσπυδασμένην πράξιν, προηγμένως δὲ πρὸς τὰς πολεμικὰς κινδύνους, πρὸς ἃς λακεδαιμόνιοι τὸ καλόμενον κασόρειον ἠύλειτο μέλος. conf. etiam Pausanias in Lacon. c. 17. p. 271. Festis nuptiarum diebus interuenisse tibiae, et intersonis tibiatarum modulis hymenaeum fuisse decantatum, testatur Homerus Iliad: Σ. v. 492. seqq.

Νύμφας δ' ἐκ θαλάμων δάδω ὑπολαμπομενάων,
 ἠγίνεον ἀνὰ ἄστυ, πολὺς δ' ὑμέναιος ὄρωροι.
 Κῆροι δ' ὀρχιστῆρες ἐθίβουον ἐν δ' ἄρα τοῖσιν
 αὐλοὶ φόρμιγγές τε βοὴν ἔχον· αἱ δὲ γυναῖκες
 ἔσαμεναι θαύμαζον ἐπὶ προθύροισιν ἐκάσθη.

In funeribus etiam ad minuendam tristitiam tubas ac tibiae adhibitas fuisse, antiquitatis monumenta dicunt, hanc ob causam etiam tibia luctus signum uocatur VI. Thebaid: Artemidorus quoque lib: II. c. 58. ait: αὐλεῖν πυθικοῖς αὐλοῖς πένθος συμάγει. Gellius in Noct. Att. lib. XX. c. 2. disputans, quid in M. Catonis oratione fiticinum uocabulum significet, scribit: se in Capitonis Atei coniectaneis inuenisse, ἀυλητάς funebres appellatos fuisse fiticines, quod apud sitos h. e. uita functos canere solerent, ipsos graue canere solitos tubae genus a caeteris differens habuisse. Iosephus lib. III. τῆς Ἰσραηλικῆς αἰλώσεως de morte Iosephi scribit: πλείους μισθῶσαι τὰς αὐλητάς, οἱ θρύνων ἐξῆρχον αὐτοῖς. Ad Iudaeos sine dubio hic mos a profanae religioni addictis transit, hos enim in funebri luctu tibiae adhibuisse, inter alia ex Matth. c. IX. comm: 23 patet, ubi Saluator puellam summi Praefecti synagogae
 fulci-

suscitaturus remoueri iussit τὰς αὐλητάς, ad quem Iocum Erasmius Schmidius in animadu: ad N. T. notat: Erant Iudaeis olim, maxime circa tempora Christi, in luctu funebri tibicines in usu, qui μονάυλια seu tristi unius tibiae cantu hominum ad funus deducendum conuenientium animos ad moerorem & lacrymas commouerent. Praecipue tamen in paganorum sacris & sacrificiis offerendis tibiae adhibebantur, Sacrarum tibiaram autorem refert Athenaeus lib. XIV. Dipnos. c. 2. his uerbis: Φρύγων καλυπνύων αὐλῶν ἱερῶν βασιλῆα αὐδονος ἤροσε πρώτος Δέριδος ἀντίπαλον μέσης. Νομοάσιον ὀρφναὶ πνεύματος ἔυπτερον αὐραν ἀμφιπλέκων καλάμοις. In uictimarum deductione, in ipsis sacris & per omne sacrificii tempus, maxime, dum urebantur uictimarum partes arae impositae tibicinum strepitus et liticinum cantus exaudiebatur. De Achivis Apollini sacrificantibus canit Homerus Iliad: A. v. 473. seqq.

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ Θεὸν ἰλάσκοντο,
καλὸν ἀείδοντες παιήονα κῆροι ἀχαιῶν
μέλποντες ἐκάεργον, ὃ δὲ Φρένα τέρπει' ἀκῶν.


Macrobius in Somnio Scipionis lib. II. p. 102. hujus rei causam affert dicens: ideo canere coelum etiam theologi comprobantes sonos musicos sacrificiis adhibuerunt, qui apud alios lyra, uel cythara, apud nonnullos tibiis aliisque musicis instrumentis fieri solebant. In ipsis quoque hymnis Deorum per stropham aut antistropham metra canoris uersibus adhibebantur, ut per stropham rectus stelliferi orbis motus, et per antistropham diuersus uagarum regressus praedicaretur, ex quibus duobus motibus primus in natura hymnus Deo dicandus sumsit initium. Significamus iam, quod, pietate ita iubente, et legibus sic uolentibus, Evergetae B. GEORGII CAVPERTI Ducalis Aerarii, dum uiueret, Scribae supremi memoriam suo et Commilitum, qui insigni Cauvertina iam sustentantur liberalitate, hodie hora post meridiem secunda mente pia grataque sit celebraturus Iuuenis pietate, modestia, industria morumque praestantia ornatus

IOHANNES CHRISTIANVS GRAFF

Lendershusa Francus

Valete Ciues, ad audiendam orationem frequentes concurrite, & in Domino bene agite. P.P. Coburgi e tabula Casimiriana die Andreae

CIO IOCC XXXXIV.



Antiqu. Graec.